



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

Illvstrissimo Ac Christianissimo Francisco Francorvm Regi, Petrus Rebuffus
S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

ILLVSTRISSIMO AC
CHRISTIANISSIMO FRANCISCO
FRANCORVM REGI, PE-
trus Rebuffus S. P. D.

IN Meroë nemo illorum quisquam summum gerere imperium poterat, nisi qui præualido corpore præ cæteris ante staret inuictissime Rex, sicut nec apud Cathecos Iudæam gentem, ni qui præstanti corporis forma alios antecelleret, qua in re, si historiographorum monumentis assentire volumus, traditur, tot ex millibus armatorum militum, quos Xerxes in Græciam perduxit, neminem sibi corporis magnitudine, aut specie præstitisse. Medi autem nisi qui viribus excelleret, præcipuo que robore omnibus emineret, iure gentis pro rege habebant neminem, nec Persæ quempiam, qui disciplinis liberalibus imbutus non esset, pro rege admittebant. Ista tamen cuiquam simul extra te vnum adscripta fuisse, nusquam legisse memini, ita vt apud omnes gentes ad regnandum requisita iure optimo in te vno emineant, atqui cum hæc aperta & omnibus peruia sint, nunc missa faciam, vnum tamen impræsentiarum non prætermiserim, quod apud Parthos regiam dignitatem adire, vel eam salutare absque munere nephas erat, quod animo perpendens tuam interpellare dignitatem ausus hæctenus non fui: diu in mente reuoluens, quo munere tibi grato (& non Veneri suem) vt parcemia vtar (immolarem,) hilari vultu adire possẽm, oblata sunt mihi, nescio quo fato Conuentiones inter sanctissimum Papam & Maiestatem tuam (quas Concordata vocitant) in quibus enucleandis aliquantulum, tam in scholis Decretorum Parisiis publicè interpretando, quam priuatim scribendo elaborauit, quæ etsi tale munus non decet principem, tu tamen pro tua erga omnes humanitate æqui boni que (vt dici solet) con-sules, & tuas leges (licet meis lucubrationibus elucidatæ sint, si tuæ sedeat magnificentia) nequaquam contemnes. Mihi verò interim in mentem venit, quod non absque animi prudentia ab Octauiano Augusto prolatum extitit, dum quidam illi libellum trepidè offerret, manum nunc proferens, nunc retrahens: An putas, inquit, te affem elephantu porrigere? solent enim non extra metum pueri teruncios proboscide oblatos sic corripit, vt illorum manus non lædat, molestum erat optimo Principi quod timeretur, cui conuenit Xenophanes

Lagi

Lagi filius, in quiens quemlibet nephariis in rebus timidum esse debere, in honestis vero rebus audacem oportere, quæ omnia me ita incenderunt, ut nulli mortalium hoc qualecunque opus extra te vnum dicare in animo fuerit. Dicit quis, alios reges salutare, vel principes, & eis dicare hoc opus poteras: cuius verbis respondeo, velle me huiusmodi Regem salute donare, qualem Augusto contigit, qui postquam Antonio Cleopatraque in Ægypto deuisis Alexandriam ingressus fuisset, quod primum in ea vrbe optauit, conspiceret Alexandri magni corpus, fuit, quod non verborum solum, sed etiam coronæ profecutus honore, totum fragrantibus conspersit floribus. Rogatus an Ptolomæorum Ægypti regum cadauera inspicere etiamnum vellet? Resp. se reges, & non mortuos videre voluisse, graui ostendens testimonio, inter eos vnum esse Alexandrum, qui fama, & virtute viueret: sic te vnicum Regem, & totius orbis phœnicem meo libello visere percupio, qui eruditos diligis, honore prosequeris, ac muneribus locupletas, Pompeii magni gesta secutus, qui cum clarissimam ex Oriente victoriam reportasset, omnes liberalium artium professores Rhodi audiuit, auditos amplis muneribus donauit, sic & tu tam theologos, iurium peritos, medicos, quàm etiam humaniorum literarum peritos iustis stipendiis honestaueris, & ita probè erga omnes te exhibuisti, ut regnum doctioribus ac sapientioribus viris, quàm nemo vnquam vberius impleueris. Quod si id munus ea animi benignitate, qua cætera alia soles, à te exceptum hominum literatorum ordo intellexerit, planè veterem tuum regium morem obseruaueris, simul virtutis ac literarum amatores ad maiora grauioraque opera excitaueris, quibus honori ac vtilitati non modo reipublicæ Gallicæ (cuius humanitatem nemo non collaudat) verùm etiam totius orbis te arridente imprimis consuletur. Valeat tua illustris maiestas, & me tuum commendatum habeat. Parisiis quarto Idus Martii, Anno sesquillesimo trigesimonono.

ORNATISSIMO IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI PETRO

REBUFFO MONS-PESSULANO, IVRIS CANO-
nici apud Parisios publico professori Franciscus
Floretus eiusdem Academiae doctor
ordinarius, S. D.



Commentarios tuos longè doctissimos, magna cum voluptate, ita
me Deus amet. perlegi, vir integerrime, quibus & Pontificis ma-
ximi, & Christianissimi Francorum Regis Francisci concordiam
sic assecutus esse videris, ut utriusque non à consilijs modo, sed pra-
fuisse dum secretius isthaec agerentur, iure videri possis: & pulcherrimam
Christianam functionem, à nemine haecenus (quod sciam) pro dignitate tracta-
tam, solus extuleris. solus constanter aggressus sis, indignum nimirum existi-
mans, rem sine qua Gallica concordia cum Romana sede diutius stare non
posset, non esse notiores, etiam his qui magnis honorum titulis (ut iuris can-
didatos praetermittam) asinum Cumanum Leonis exuvio vestitum circum-
ferentibus superbiunt. Quo nomine magnam, mihi crede, & pontificum &
regum gratiam inisse debuisti. Nec minus tibi debebunt & iuris consulti ipsi,
qui ad litium firmum patrocinium opem hinc corrogare, nunquam graua-
buntur. sibi opinor probe conscij, patruus tuus Iacobo Rebuffo clarissimo I. V. do-
ctori quantum debeant, qui nec lingua Graece phrasi perterritus (quam ta-
men potissimum emulantur) commentaria in tres Codicis posteriores libros
tam eliminata, tamque demorsos unguis sapientia conscripsit, ut omnibus
glossematographis laudem praecipuisse censeatur, quem temporis non longin-
teruallis sublatum, tanta cum laude subsequutus es, ut in te patria & penè
germana iuris utriusque scientia reuixerit. In ea enim intelligenda vix putem
hanc aetatem habere aliquem ex his etiam qui publicam professionis munus
obeant, qui tibi conferri possit. Id verissime dictum intelligi citra contro-
uersiam volo. Idque existimabis nullo meo ambitu, à quo tam absum quam
qui maxime dictum, sed ut praeceptoris mei laboribus sic faueam, ut nulla
ingrati animi nota iniuri possit. Id quod & diligentius, & pluribus verbis
scribendum putarem, nisi mea me concharei celeberrime sublimitas, & pu-
blica iuris professio continerent. Dicam tamen ingenue quod sentio, ut in-
telligat posteritas omnis se plurimum debere Rebuffo Monspeulano, doctissi-
mo Concordatorum interpreti. Is tantam lucem addidit Concordatis, ut
parem vix quisquam sit additurus superiore omnino nullus. Quantum
verò fidei auctorum interpretibus debeamus, apertissime Graecorum commen-
tarijs

variis luculentissimis illis quidem expressum video. Sic enim Demosthenem
 commentariis clariorem reddiderunt Vlpianus & reliqui interpretes, Home-
 rum Eustathius, Aristotelem Themistius, & Alexand. Aphradiscus: apud
 Latinos vero Marc. Tul. Ciceronem, Asco Pedianus & Victorinus, Teren-
 tium Donatus. Sed quid attinet rem vulgò cognitam, pluribus verbis ex
 plebe quaesitis confirmare? Diutius igitur acta non agam, sed gymnasiolorum
 ingenij tui dexteritate illustratorum ordinem recensere: ut non calamo
 tantum valuisse te cetera nationes intelligant, sed summa cum laude, ap-
 plausu tanto, ut nunquam maiore, verissime cognosci possint virtutis
 tuae rationes omnes. Primis enim etatis tuae annis Montepessulani iactis iu-
 risprudentiae fundamentis, & studiosorum sodalitate laudabiliter, ac veluti
 ex professo annos aliquot administrato, Tholosam iurisprudentiam Gallie
 totius celeberrimam civitatem conuolasti, septennium ferè publicam pro-
 fessorem, applaudentibus omnibus, cum summa nominis tui & titulorum
 accessione egisset, & hinc nisi te pestis inclementia abegisset, in suum ordi-
 nem cooptasset collegium doctorum: sed Tholosa abeuntem, Cadurci non mi-
 nori gloria (illis enim nominis tui celebritas innotuerat), quaestu opinor ma-
 iore, obuys, quod aiunt, vlnis excipiunt exceptumq; summo professoris loco
 esse volunt. Id quod, quæ tua est animi modestia, recusandum non du-
 xisti, ne studiosi, qui te magno erant comitari numero, sua expectatione
 fraudarentur. Magna de te illic spes concepta erat, quàm & hodierno die
 laudabili gestorum tuorum recollectione sustines. Nec his contentus hono-
 ribus, indignum ratus loco semper profiteri eodem, & facile perpendens,
 quid peculiare sibi unaqueque regio haberet, Pictauiorum urbem publicam
 legum emporium cogitasti, non iam auri gloriæq; expectatione permotus
 quàm ut eruditionis tuae fructum aliquem Pictonibus lenissimis populis
 communicatum velles, & quòd multorum sermonibus prius erat longo ante
 tempore auditum, id coram esset ampliter confirmatum. Grauiissimum igitur
 quartum Codicis librum, ac omnibus iuris studiosis, ut nosti, ad primè
 necessarium, aggressus es, cum lege illa celeberrima, diuus, ad senatus con-
 sultum Syllanianum & Claudianum, tantatissima lege, re coniuncti, de
 legæ. 3. non prætermissa. Quibus quid præstiteris, quàm de te expectatio-
 nem dederis, quoto te habendum loco duxerint omnes, malo alijs conie-
 ctandum relinquere, quàm & pingui Minerva, & parcissime commemo-
 rare. Quis enim nescit te summo affectum honore? Quis profundam v-
 triusque cognitionem in te tanquam in speculo relucentem non est admira-
 tus? Hoc quis neget, quod temporum successus laudabiliter confirmauit? Ma-
 gnum quidem est principib. viris placere, ab illis appellari, colloquijs honestari:
 sed multo maximum salario non pœnitendo, sola iuris eruditionis specie com-
 mendari.

mendari.

mendari: non quorundam leuium & rudium fumis inclarescere. Nam tum forte clarissime simul & humanissima Nauarrorum regine instaurandi Biturigibus iuris vtriusque gymnasi incessit libido, magna (est enim & pietatis & prouehendarum literarum studio iam à teneris addictissima) huius liberalitate quaesiti professores in Gallia probatissimi. Prudens enim Alciarum iuris probatissimum interpretem accersitum praefermito. Solus & Regina & ciuium testimonio inuentus es, quem praefectum nouae scholae voluerunt. Honesta literarum & nominis accessione tam diu retinuerunt, dum forte magno iuuentutis damno, vno veluti consensu, & magna populi molestia emigrandum duxisti, aut professionis munere pertesus, aut vt ad maiora patronum in supremo Galliarum senatu subsellia occupanda, quod beatissimum plerique existimant, properares. Mox, Dei Opt. Max. beneficentia, senatus Parisiensis edicto, iuris canonici professio, qua annos plus minus centum aut miserè tractata torpescerat, instauratur. Publicae disputationes decernuntur, in certamina semel atque iterum descenditur. disputationis victoriam laudabiliter reportas, & communi senatorum omnium suffragio praeter spem professoris personam sustines: quam tua virtus, & eruditionis ad miraculum celebritas, conciliarunt. Professionis verò huius specimen tandem aliquando daturus, commodum sese offerunt Rom. Pont. Concordata, de quibus multa mihi scribenda esse arbitrarer, nisi illa eiusmodi esse ducerem, quae popularia in populi salute sint praclarè constituta. Itaque quanta sim laetitia affectus commentarijs illis tuis perlectis, multo facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. Nihil enim apud Latinos ad hanc diem extat in hoc scribendi genere, quod in hosce commentarios non regeferis, ausus etiam non pauca ex recentioribus attingere, aut corrupta, aut doctorum pertinaciam non satis adhuc explosa. Et si verum est quod dicit Hora: Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci: utroque nomine gloriam sempiternam reportaturus es. Perge igitur mi praceptor, perge, inquam, haec studia excitare, & commentationibus tuis illustrare. His enim, tibi persuade, magnum quiddam rebus tuis accedet, & aliquem reperies aequum laborum tuorum astutiam supereris. Ac vale, meque, quod facis, ama,

Lutetiae Parisiorum ad nonas Iulias,

Anno 1536.

CONCOR.